

325

323

329

et uno ante non possunt naves evadere, sed omnes retrocedere.  
Est videre Maleum horribile, quia petrosus mons est, rupis limpi-  
dissima de profundo maris exsurgens et usque ad nubes se attol-  
lens, cuius summitas et cacumen semper nivosum est.

319

334

In radice Maleae est civitas, quae Malfasia dicitur, juxta quam  
crescit praecipuum vinum, quod vere est malfaticum, ut dicunt  
quidam, et hoc olim ducebatur in occidentales partes. Numquam  
cretense vinum esset occidentalibus cognitum, sed postquam gu-  
statum est cretense esse melius malfatico, cretense emunt et  
sibi nomen malfatici tribuunt, non enim amplius ducitur malfaticum  
vinum in occidentem, cum Malfasia jam sit Turcorum, qui vineas  
non plantant, sed hoc, quod nobis de oriente adducitur, est vinum  
creticum, de Creta vel Candia et de Metona transvectum, nihil  
de Malfasia habens, nisi nomen. Vel creticum vinum dicitur  
malfasetum aut malfaticum, sicut metonense et coronense dicitur  
malfaticum, quia Maleae regio cum civitate Malfasia est media inter  
Cretam et Coronam ac Metonam. Ideo utriusque vinum a media  
regione denominatur malfasetum. Melius tamen credo, quod vinum  
creticum ideo malfasetum dicatur a Malficio, villa insulae Cretae,  
juxta quam praecipuum crescit vinum, a quo totum vinum Cretae  
malfasetum dicitur, ut supra habetur Fol. 169 b.

314

374

274

424

224

In civitate Malfasia dicuntur esse pessimi homines et homi-  
nibus alienis durissimi, unde carent navium gubernatores, ne in  
portum Malfasiae intrent. Ideo repulsi a Malea potius revertun-  
tur in Cycladum insulas, per multa maris spatia, quam quod ad  
istos malitiosos confugiant. Ad malitiam enim ipsorum facit eorum  
nomen, quia dicuntur Malfati, id est, mali fati, vel malifacti, vel  
malefacientes.

Ende

Anfang

De difficultatibus navigantium per Maleam experientia sequens  
melius docebit legentes. Ideo praefato die, cum meridies adesset,  
venit ventus fortis et tulit nos repente contra Maleam praedictam,  
quamvis autem magna celeritate contra eam navigaremus, parvam  
tamen spem habebant nostri gubernatores, quod vincerent et eva-  
derent, nihilominus tamen contra eam conabamur tentantes praet-  
ergressionem, quia si eam illa die pertransivissemus, altera die  
mane in portu Metonensi fuissemus, ad quem desideravimus ve-  
nire. Navigantibus ergo nobis sole ad occasum declinante desiit

